



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. VI. An professus, aut exhæredatus, aut renuntians hæreditati, augeat,
aut minuat legitimam

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

gatum non valeret quoad quotam legitimæ commensuratam & sic filius haberet in ea etiam usufructum, *Auth. novissima Cod. de inofficioso testamento* in fine, ibi: *cujus portionis corrigens legem 37 ff. de usufructu per legatum relictum oppositum statuentem.*

Unde ubi ex statuto dos est loco le-

gitimæ, ea debet esse immunis ab onere, quapropter si dori tunc adjiceretur hæc conditio *si nupsit* ea non esset differenda in eventum nuptiarum, *Haunold. n. 534.* nec valeret ista, *si filia decesserit sine prole, dos revertatur ad testatoris heredes.* Responsum totum est *Haunoldi tract. 6. à n. 531.*



§. VI.

An Professus aut exheredatus, aut renuncians hereditati augeat, aut minuat legitimam.

Hujus §. explicationem vide in n. 409.

§. VII.

Quorum bonorum Filij sint Domini, & quid circa ea possint?

114. **U**T intelligatur hoc genus Domini, quadruplex Theologum Juristis distinguunt filiorum peculium sic dictum à pusilla substantia, quæ si acquisita, est in Castris aut intuitu Militiæ, dicitur peculium Castrense; ad quod ex speciali Constantini Imperatoris Privilegio revocatur comparata in Palatio Regis ab Aulicorum obsequium suâ industriâ aut parsimoniâ, ut largitate Principis; si est acquisita ex publico officio ut judicis, Assessoris, Medici (secus acquisita per artem Mechanicam *Leg. unic. Cod. de inoffic. Testamento*) aut in electricatu &c. dicitur quasi Castrense, idest,

gaudet privilegio Castrensi: si est acquisita extra hos titulos, nec primario intuitu Patris, nec ab ipso Patre, sed advenit ex jure hereditatis lineæ maternæ, ex donatione, industria, labore, artificio, fortuitâ inventione, negotiatione cum pecunia mutuo data à Patre, aut ex donatione antidotali aut remuneratoria, vocatur adventitium; demum acquisita principaliter intuitu Patris, aut ex rebus, & Substantia Patris, ut si negotietur pecuniâ Patris non mutuo accepta, proinde nomine Patris est peculium profectitium.

Dico